



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Officium recitandi obligatio an extet in choro.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

sed contrarium probabilius videtur. *ibid. num. 4 & seq.*

102. Qui divinum officium sine ope socii recitare potest, tenetur illum adhibere, modo commodè adhibere possit, & non sit furdus; imò beneficiarius debet illum pecunia conducere, dum illius opera gratis non conceditur, & redditus sufficientes habeat. *ibid. nu. 8.*

103. Qui choro interesse debet, & potest, tenetur interesse, etiam si furdaster sit. Item cæcus choro deputatus satisfaciet muneri chori, recitando partem quam memoriter tenet; & quam cum aliis recitare potest. Præterea cæcus, si defectu memoria nihil discere potest, tenetur audire officium omnia dicentem, & cum eo dicere versus ad se pertinentes, si commodè potest. *ibid. num. 12 & seq.*

104. Infans, cui facta fuit beneficii aut sacrorum officiorum collatio ante rationis usum, non tenetur ad horas Canonicas; imò neque in adolescentia, nisi ordinis susceptionem contulerit, postquam ad rationis usum pervenit. *ibid. n. 16.*

105. Dispensatio Summi Pontificis etiam concessa sine causa; carentia fructuum, quando scilicet beneficiarius non percipit, nec percipiurus est fructus beneficii per se, aut per alium; ignorantia probabilis legis, naturalis oblivio, seu inadvertentia, excusant omissionem divini officii. Adde potest etiam pro causa excusante, metus gravis incommodi. *ibid. punct. 3 num. 1. 3. 6. 8. 9 & 12.*

106. Qui ordinem sacrum vel beneficium habet, tenetur ea parare quæ ad officium recitandum necessaria sunt, alioquin peccat exponens se periculo faciendi contra proprium officium. *ibid. num. 10.*

107. Dubitans an Psalmum, Antiphonam, vel quid simile recitaverit, non tenetur iterum recitare, quia via infirmitatis scrupulis aperiretur, & semel repetita sæpius repetere dicitur. *ibid. num. 12.*

An extet obligatio recitandi officium in choro.

108. Clerici Ecclesiarum Cathedralium & Collegatarum obligantur ad officium in choro singulis diebus prestandum, nisi aliud ferat consuetudo vel Ecclesie institutio. fieri enim potest, ut ex beneficiorum institutione Canonici non teneantur singulis diebus interesse. Idem valet in casu necessitatis. *ibid. disp. 2. quest. 1. punct. 1. num. 2. 3. & 6.*

109. Clerici Ecclesiarum non Collegiatarum, absolute loquendo, non tenentur officium in choro canere, licet canere possint, quia de his non extat in jure obligatio. *ibid. n. 7.*

110. Religiosi choro deputati tenentur quoque officium contra proprias religionis suae regulas & institutiones in choro canere: strictius tamen tenentur beneficiarii ad officium in choro celebrandum quam religiosi, quia beneficiarii tenentur ex officio, consequenter ex iustitia, quae ex suo genere obligat sub mortali, religiosi vero tenentur solum ex vi regule. *ibid. n. 9. & 10.*

111. Quæsitum fuit ab eximio D. Bonacina, an liceret in Ecclesia S. Mariæ trans Tiberim Canonicis singulis annis ea die, qua miraculosa quædam Beatissimæ Virginis imago manifestata fuit, recitare integrum Beatissimæ Virginis officium, acceptis lectionibus ex aliis officiis, quæ alias in choro celebrari consueverunt? Et respondit præfatus dominus Doctor, licere. *ibid. n. 12.*

112. Qui ultra tempus à Concilio permissum à choro notabiliter absunt, mortaliter per se loquendo, peccant, cum faciant contra iustitiam, id est, contra officium: excusari tamen possunt si absint iusta de causa. Similiter peccat per se graviter, qui abest frequenter à Capitulis, seu legitimis Congregationibus capitularibus; nisi etiam legitima de causa absit. Canonicus vocatus ad Capitulum tempore divini officii, debet potius divinis interesse, nisi aliud cogat necessitas. *ibid. punct. 2. num. 1. & seq.*

113. Licitus est cantus, & usus instrumentorum musicorum non solum in publica, verum etiam in privata officii recitatione, præciso tamen scandalo, aliisque circumstantiis extrinsecis. *ibid. punct. 3. num. 1. & seq.*

114. Canonici alique choro deputati, tenentur divinum officium canendo, & alta voce recitando persolvere, juxta Ecclesie usum & consuetudinem: quamquam legitima consuetudine præsertim immemorabili induci potest, ut quis per alium chori assistat, & munus chori obeat, maxime si iste alius sit ejusdem Ecclesie. *ibid. n. 5. & punct. 5. n. 1.*

115. Circa conditiones requisitas in eo qui ad distributiones admitti cupit, vide verba. *Distributiones.*